

Forfatter: Palladius, Peder

Titel: Udrag fra Peder Palladius' Danske Skrifter

Citation: Palladius, Peder: "Peder Palladius' Danske Skrifter", i Palladius, Peder: *Peder Palladius' Danske Skrifter*, udg. af Lis Jacobsen , H.H. Thiele, 1911-1926, s. 67. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-palladius01val-shoot-idm140153320363616.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: Peder Palladius' Danske Skrifter

Inueniuntur enim forte quidam/ id quod et alibi experti sumus/ qui vtcunque || non male doceant/ tamen seipsos non docent/ sed ita sunt prefracto animo vt nihil ipsis placeat/ quod ab alijs ad hoc vocatis est ordinatum quod ipsi non fecerunt/ sed egregiam et nobis et vobis reddunt vicem/ dicentes/ Ecce nouæ leges/ aufertur Ecclesijs sua libertas/ mihi ista non placent. Hæc cum alii in arrogancia ipsorum et vident et rident/ ipsi tamen sua stulta sapientia non vident quantum in deum peccent/ quod per hanc insipientiam apud alios suæ doctrinæ detrahunt auctoritatem/ Metuunt ne cui subiecti sint dum tamen de subiectione illorum ne cogitamus quidem/ sed solliciti sumus pro salute et pace atque concordia per Euangelium propaganda. Qui si ita pertexerint et omnino statuerint dissimiles esse nobis/ neque esse voluerint sub sancta ordinatione quæ vni tantum seruit Euangelio pro libertate conscientiarum non contra libertatem ut || fingunt et mentiuntur/ curabimus nos vicissim ne sint nobiscum/ spectant enim tales tandem ad seditionem et hæresin/ quæ mala prohibeat a nobis benignus ille spiritus Christi. Curatores Ecclesiarum requirimus/ non turbatores. Deus est mihi in conscientia mea testis/ quod hanc pestem ex nullo quem norim hic metuo/ tamen 68 expertus metuo/et propter hanc mei vocationem vos Ecclesiarum Episcopos admoneo vt vigiletis/ memores quid iuraueritis primum Christo/ deinde et Regiæ Maiestati pro Euangelij negotio. Christus sit vobiscum et cum omnibus Ecclesijs vestris/ cum quibus orate pro Rege/ pro Regno/ pro me. Christus seruet vos et pastores Ecclesiarum in æternum.

EX Copenhagen. M. D. xxxiiij.

Feria secunda post Jubilate.